



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

De Visitatione quorumuis exemptorum visitationis processu & effectu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

idem Capitulum 46. obseruare non placuerit, priuata sint omnino voce passua, donec respicientes, tam sanctum institutum acceptauerint. Easdem porro Constitutiones omnes innouans sua sanctitas mandauit, in ceteris omnibus ob-

seruari, & executioni demandari. Roma, 26. Iunij. 1602.

Alex. Card Floren.

Locus Sigilli.

Hieronymus Agucchius Secret.

ARTICVLVS VIII.

De Visitatione quorumuis exemptorum, & de modo in Visitatione seruando.

1. **E**xemptos quosuis quomodo possit visitare Episcopus.
2. Exemptio est odiosa & strictè interpretanda.
3. Inquisitio qualis in Visitatione facienda.
4. Testes in Visitatione quales admittendi.
5. Delicta ex Visitatione comperta qualiter punienda.
6. Visitatio non potest impediri recusatione iudicis vt suspecti.
7. Appellatio quomodo possit interponi in causis correctionis morum.
8. Appellari potest si Iudex modum excedat in correctione.
9. Purgatio Canonica quando iniungenda.
10. Pœne omnes Iudici sunt arbitrarie.
11. Appellari potest cum agitur de correctione morum processu iudiciali seruato.
12. Archidiaconus quomodo visitare possit.
13. Archiepiscopus non potest visitare Diocesim Suffrag. nisi causa cognita in Conc. Prouinciali.
14. Visitator quid possit recipere à Visitatis.
15. Procuratio non debet ur dum visitatur Clerus ciuitatis vbi sita est Cathedra.
16. Hospitalia ad procurationem non tenentur.
17. Procuratio hoc tempore prescribi potest.

Mltra præmissa visitare potest Episcopus quoscuque Clericos Sæculares exemptos, Prothonotarios Apostolicos, Cappellanos Regios, Acolithatus, Comitibus Palatini, seu alicuius militiæ vel hospitalis titulis insignitos, dummodo actu militiæ seu hospitali cui adscripti sunt non inseruiant. cap. 1. de priuil. in 6. Item & residentes in Curia Romana

& familiares Cardinalium: isti enim ratione beneficiorum Diocesano in cuius Dioece. beneficia obtinent subijciuntur. cit. Conc. sess. 24. cap. 11. de ref. & si resideant, etiam in persona in causis delictorum & correctionis morum ab eodem Diocesano, siue in Visitatione, siue extra Visitationem puniri possunt. id. Conc. sess. 14. cap. 4. de ref. Tanto magis si exemptus quis sit ratione certi loci.

loei, & maneat in alio loco non exempto, tunc enim exemptione defendi non poterit, cum exemptio certi loci non extendatur ultra locum. *cap. cum Capella. de priuil. Abb. ib. num. 2.* exemptio enim cum sit iuris ordinarij priuatiua, est odiosa, & ideo de vno loco ad alium non dilatanda, sed restringenda. *Abb. loc. cit. num. 5. Felin. in cap. cum omnes. de constit. Card. in Clem. 2. §. ab olim. quest. 2. de sepult. Belam. conf. 20. col. 4.* Tanto magis exempti subiecti sunt Visitationi Ordinarij, si in eorum priuilegio nulla fiat mentio Visitationis, simplex enim exemptio non eximit à Visitatione. *Innoc. Ioan. Andr. Abb. in c. cit. cum Capella. Soc. de Visit. lib. 6. q. 14. Rot. decis. 736. & 744. p. 1. diuers.* & quomodo discerni possit, ut exemptus quis sit à iurisdictione Ordinarij, sequenda doctrina. *tex. cap. ex parte. in fin. de priuil. cap. si Papa. cod. tit. in 6. Mascard. de prob. concl. 713.* quidue tenendum sit lite pendente videndus *Cassad. decis. 5. de priuil. sumenda* nimirum summaria informatio de exemptione, & si apparuerit bene fundatam, supersedendum, sin minus insistendum iurisdictioni ordinarij. *Angel. in sum. verb. exemptus. §. 4.*

Iurisdictionem Ordinarij contra huiusmodi exemptos Prothonotarios habitum non deferentes, aliosque Curiales vel familiares Cardinalium actu familiaritatem non exercentes, concesserat etiam Leo X. Constitutione sua. *incip. Regimini. anno 1515. 4. Nouus May. in Conc. Lateran.*

Ecclesias item quæ nullius sunt Diocesis, vicinior Episcopus, vel quem semel elegerint, visitare potest. *Conc. loc. cit. cap. 9.*

Modus aut in inquirendis defectibus

& delictis tenendus est, ut de statu generali Ecclesie inquiratur, & non in specie de delictis rectoris: *Specul. lo. cit. de inqn.* & ut procedatur de plano nulla seruata forma iudicij. *cap. olim. de accusat. secreto etiam examinandum est, & nullum iuramentum ab examinatis exigendum. cap. Romana. cit. super quo extat etiam rescriptū Sac. Cong. Conc. tenoris sequent.*

Congr. Conc. censuit. in Visitatione quando fit inquisitio quæ preparatoria vocatur, non licere Episcopo ad detegenda Visitatorum peccata per edicta publica monere homines sub excommunicationis pœna ad reuelandum neque in ea exigere iuramentum à visitatis.

Ex quo tamen reuelaretur sine iuramento aliquid corrigendum, posset Visitator pro maiori verificatione super illo particulari exigere iuramentum. *gl. in cit. cap. Romana. §. sanè. vel in genere posset exigere iuramentum, ut dicant si quæ sciunt in Ecclesia reformanda, tam in capite, quam in membris. cap. qualiter. de accus.*

In huiusmodi item generali inquisitione admittendi sunt quicumque deponere volentes, etiam criminosi & qui alias à testimonio essent repellendi. aduertere tamen debet Visitator an ex odio deponant, vel ex auditu seu fama tantum, ut ex similibus deponentium circumstantijs iudicium suum moderari sciat. *Host. loc. cit.*

Visitationis absoluto processu ordinare solet Visitator aliqua, quæ corrigenda duxerit & iniungere Ecclesie rectori, ut ea intra assignatum terminum exequatur. Delicta etiam si quæ detecta sunt punire debet.

Et quidem si accusatus fateatur deli-

Hh 3 atum,

5. etum, mitiori poena puniendus est; nimium non poena ordinaria sed arbitraria, hæc enim propria est poena iudicij inquisitionis seu correctio. *cap. presbyterum. 50. distin. cap. non dicatus. 12. q. 1. cap. qualiter. cit. & cap. inquisitionis, de accus. Abb. conf. 25. p. 1.* Tanto magis quod Visitatio potius fit per modum fori poenitentialis quam contentiosi, nec in ea præcise puniendi finis intendendus est sed corrigendi & salutaris poenitentia iniungendæ. *ita Imol. in cap. Romana. de cens. in 6. cit.*

6. Huiusmodi quoque correctio appellatione vel recusatione iudicis ut suspecti non potest impediri. *Abb. in cap. licet. num. 1. de off. ord. cit. Conc. sess. 24. cit. cap. 10. de ref.* hocque idem fuisse declaratum à Sac. Congr. Conc. testatur Genu. *in sua prax. cit. c. 21.* quoad effectum videlicet suspensiuum quoad effectum enim diuolutiuum appellatio non est prohibita, ex voto eiusdem Sac. Congr. *ut sequitur.*

7. An decretum cap. 10. sess. 14. sustulerit appellationem deuolutiuam.

Congregatio censuit non sustulisse deuolutiuam sed suspensiuam tantum.

8. Et si in correctione excedatur modus, ab huiusmodi excessu posset etiam appellari. *Dec. in cap. cum venissent. num. 49. de iudic.*

Pro crimine etiam à quo quis alias fuit legitimè absolutus, iterum puniri nõ debet. *c. de his. loco cit. de accus. Abb. ib. arg. tex. l. si cut. S. ydem. ff. de accusat.*

9. Quod si accusatus in negatione persistat, & fuit dispositum contra ipsum de fama & credulitate tantum, nec adsit modus quo probari possit facti veritas, adsit tamen infamatio seu scandalum & non leuis præsumptio, iniungenda est

Canonica purgatio. *c. presbyter. 2. q. 4. c. inquisitionis. cit. Felin. in cit. c. qualiter. num. 9. de accusat.* quod si in purgatione defecerit, pro confessio haberi debet. *c. cum P. & c. inter. de purg. Canc.*

Si autem negat accusatus & fuit depositum de certitudine facti, & grauis fit orta infamia vel scandalum, seu agatur de præiudicio tertij, referuandus est ad iudicium ordinarium, & contra eum per modum accusationis ab aduocato fisci Episcopalis procedi debet; & tum demum deueniri potest ad inquisitionem specialem, in qua & iurare testes, & non nisi legitimi admitti debent; nam tunc potest si velit accusatus excipere contra testes, potest petere probationum copias, & omnibus defensionum remedijs uti. *Hoff. loc. cit.* Poena etiam ordinaria & à iure statuta hoc casu puniri debet delinquens, non autem arbitraria, *cap. qualiter. cit.* Licet hoc tempore omnes poenæ sint iudici arbitrariæ, & omnes poenæ legum pro circumstantijs delictorum & locorum iudex moderari potest. *Hoff. in sum. cit. de poeniten. num. 6. Boer. decis. 289. n. 7.*

Derineri etiam hoc casu potest, sub custodia reus, interim dum formatur processus, si sit suspectus de fuga. *cit. Conc. sess. 25. cap. 6. de reform. ad hoc. Abb. in cap. ut fama. num. 7. de sent. excom.*

Hoc eodem casu cum proceditur compilato processu, recusari potest iudex ut suspectus, & ab eo licitè appellatur appellatione non solù deuolutiuam, sed etiã suspensiuam, neque tunc procedit dispositio. *cit. c. 10. sess. 24.* appellatione enim correctionis morum, non intelligitur correctio quæ fit seruato iudiciali processu. *Genuen. loc. cit.*

Non

Non solum autem per se ipsum visita: e potest Episcopus, sed & per delegatū, quod ipsi iura concedunt in casu iusti impedimenti. *cap. Episcoporum. 10. q. 1. cap. si Episcopus de off. ord. in 6.*

12. Visitat & Archidiaconus cum scitu Episcopi. per se ipsum tamen tantum assumpto secum notario publico de consensu Episcopi visitare debet, visitationisque rationem, acta & processum infra mensem Episcopo reddere tenetur. *Conc. loc. cit. sess. 24. cap. 3. de ref. Eadem præscribere potest Episcopus terminum & comitatum in Visitatione tenendum, ex voto Sac. Cong. Conc. quod sequitur.*

An Episcopus possit præstituerere terminum Archidiacono ad Visitationem expediendam, & præscribere comitatum & equitatur, ne oneri sit Ecclesiis quas visita- uerit.

Congregatio censuit posse.

13. Visitat ad extremum Archiepiscopus Diocesim sui suffraganei, sed non nisi causa prius cognita & probata in Concilio Prouinciali. *Conc. loc. cit.*

Reliquum est ut videamus quidnam Episcopus ratione visitationis à visitatis recipere possit.

14. Munera itaque qualiacunque & quomodocunque offerantur etiam à sponte dantibus accipere non potest. *Conc. loc. cit. ne quidem comestibilia ut illa secū asporter. Immol. Anchar. in Clem. 2. de censib. recipiens autem aliquid, tenetur ad restitutionem dupli. Conc. Trid. loc. cit. & si non restituerit infra mensem, si est Episcopus remanet interdictus ab ingressu Ecclesiæ, & si est inferior Episcopo remanet suspensus donec restituat. cap. exigit. de censib. in 6. quem textum propter maiorem commoditatem legentium hic inserere volui, ut sequitur.*

Exigit, &c. Statuentes ut vniuersi & singuli qui ob procuracionem sibi ratione Visitationis debitam exigere pecuniam vel etiam à volente recipere, vel alias Constitutionem ipsam, recipiendo munera siue Visitationis officio non impenso procuracionem in Victualibus, aut aliquid aliud procuracionis occasione, violare præsumserint, duplum eius quod receperint, Ecclesia, à qua id receptum fuerit infra mensem reddere teneantur. Alioquin extunc Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, duplum ipsum ultra prædictum tempus restituere differentes, ingressum sibi Eccl. sentiant inter dictū. Inferiores verò ab officio & beneficio nouerint se suspensos, quousq; de duplo huiusmodi grauatæ Ecclesiis plenariam satisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium remissione liberalitate seu gratia valitura, &c.

Neque Cancellarius auditor vel notarius Episcopi recipere quicquam potest à visitatis pro scriptura processus Visitationis, pro copia tamen actorum seu decretorum Visitationis ab eis qui ea petunt, licitè posset petere mercedem competentem. *Nau. conf. 1. de censib. Ioan. Monach. Gemin. Franck. in cap. 2. de censibus. in 6. supra cit.*

Neque tenentur visitati præstare veteras equorum, neque ferraturas pro equis Visitatoris. *Dacl. cit. & Clem. 2. de cens.*

Procuracionem tamen siue alimenta illius diei quo visitatio peragitur pro ipso Visitatore & suo comitatu, Visitati providere obligantur. *Conc. loc. cit. & cap. 1. de censib. in 6. cit.*

Non epulæ autē sumptuosæ, sed victus frugalis pro temporis necessitate quo-
Visita-

Visitatio expeditur, & non amplius dari debet. *Conc. loc. cit.*

Et non nisi pro moderato comitatu qui viginti vel trignita euectiones excedere non debet. *cap. cum Apostolus. de censibus.* Et quidem hic numerus comitatus in locis abundantibus redivitibus sustineri possit, alia autē Ecclesiā pauperes, quæ tanto numero sustentando sufficere non possent, ultra suas vires gravari non debent. *cap. illud te. 10. quest. 3.* Sed si vna non sufficiat ad sustentationem, duæ, tres vel etiam plures vnā procuracionem componant. *cap. procuraciones, de censibus.*

Liberum est etiam Visitatis, si velint pecunia redimere procuracionem, & Visitator tenetur recipere in ea specie, quæ fuerit oblata. *cap. felicis. de censibus. in 6, Conc. lo. cit.* Vel si aliqua compositio super modo procurandi facta sit, illa seruanda est. *Abb. in Clem. ad nostrum. de censib.*

Dum autem visitat Clerum ciuitatis vbi sita est Cathedra procuratio illi nulla debetur ex vsu plerumque recepto

post Conc. Trid. quem etiam Neap. feruari testatur in sua praxi. *Genuen. cit. c. 19.* Et sæpius respondit S. Cong. Conc. a loquin contrarium de iure veteri videri potest apud *Innoc. Abb. in cap. venerabili. de censib. Host. ib. & in Sum. eo. tit. num. 19.*

Neque debetur procuratio, dum visitantur loca specialiter exempta à præstanda procuracione. *Host. in Sum. lo. cit. de censib. num. 14.*

Neque debetur dum visitantur hospitalia, & domus pauperum vel infirmorum. *Cardin. in Clem. quia contingit. de relig. dom. Lopus de hospit. al. nu. 98. Sylu. in sua Sum. verb. hospit. ale. num. 16.*

Insuper etiam si de iure communi procuratio præscribi nõ possit. *c. cū ex officio. de præscript. hodie tamen ex noua dispositione Conc. Trid. cit. præscribitur, nec peti potest, vbi illam non dandi viget consuetudo, propter illa verb. Conc. ibid.*

In illis verò locis seu Prouincijs, vbi consuetudo est, vt nec victualia, nec pecunia, nec quicquā aliud à Visitatorib. accipiatur sed omnia gratis fiant, ibi id obseruetur.

C A P V T IV.

De Iudicijs.

Expeditis breui Iudicijs extraordinarijs, Ordinarium videamus. Et istud dicitur actus legitimus trium Personarum, Iudicis & Actoris, Rei, qui redditur in inuitum. *Host. in Sum. de iudic. num. 2. Abb. ib. in rub. num. 1.*

ARTICVLVS I.

De Persona Iudicis.

¹ *Episcopus habet intentionem fundatam super omnes de Diocesi.*
² *Ordinarius potest punire Episcopum delinquentem in sua Diocesi.*

³ *Episco-*